



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXI. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Dominice ora pro me Deiparam, ut in via peregrinationis hujus meæ mortalis illa mihi sit inter aquas cymosura, inter avia manu ductrix, in dubiis consultrix, in omnibus Patrona; ut sic ejus protectione firmato nullus mihi nocere possit inimicus. O Sanctissima Dei, &c *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Pro Deiparæ clientum agonizantium solatio mea hodie offeram.

Moneat te natura ô Dei Mater, moneat potentia, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis. *B. Petri. Dam.*

Quæstio: An Angelus Josepho Sponsæ innocentiam revelans assumpto corpore id præstiterit?

XXI. DECEMBRIS.

S. Joannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis de redemptione captivorum fundator, Christianos è captivitate barbarorum erepturus, dum pro 130. litrum deesset, coram imagine Deiparæ, quam semper è pectore gestabat, flectens eidem necessitatem hanc exposuit, à qua tantum moneræ accepit, quanta redimendis illis captivis suffecit. *Lopez. Chr. Ord.* Gravior est dæmonis captivitas.

S. Joannes captivorum redemptioni additissime, respice me miserum quem tot cupiditates; amor proprius, & pravæ concupiscentiæ captivum tenent, exime his me vinculis tam duris, tamque diuturnis, & ora pro

me Deiparā, ut in eandem servitutem nunquam
ampliùs recidam. O Sanctissima Dei, &c. fol 190.

Ad quod impetrandum: si pro redemptione
captivorum nihil æris conferre possum,
Mariophilis in peccato constitutis oratione
succurrere potero.

Per tuam ô Virgo fœcunditatem ego capti-
vus sum redemptus, per tuum partum Virgi-
neum de morte perpetua sum ereptus, & de
exilio miseræ in patriam beatitudinis sum
reductus. S. Bonav. Ps. 44.

Quæstio: Cur S. Joseph non exquisiverit ex
Virgine, quomodo cõceperit? v. Barri. 10. 1. c. 10.

XXII. DECEMBRIS.

B. Adamus Ord. Cisterciensis, adhuc infans
vixdum verba balbutire poterat, cùm
memoriã tenere *Ave Maria* conatus, illud
totis diebus ore & corde volvebat. Auctã
cum annis pietate etiam noctes diebus addi-
dit, ut suæ in Deiparam pietati faceret satis.
Noctu templum aditurus, cùm fores clausas
invenisset, dicto *Ave* illico patuerunt. *Conon.*
Eadem ad cœli fores clavis est.

B. Adame, cui Deipara sponndit se tuarum
rerum sedulam curam habituram, ora pro
me eandem misericordiæ Matrem, ut salutis
potissimùm meæ curam suscipiat, seque me-
diam inter peccata mea & filii vindictam in-
terponat, ne subitò præoccupatus in die mor-
tis primò quærere incipiam spatium & lo-
cum pœnitentiæ. O Sanctissima Dei, &c. f. 190.

Ad